

plenior, in beneficiis plenissima est interpretatio facienda, » cum similibus.

371. *Extensio legis, duplex: una proprie dicta, seu extensiva.* — Ubi notandum, quod extensio legis sit duplex, ut notat Sylvester vers. *Lex*. n. 18; Suarez, lib. VI de *Legib.* cap. III, n. 9; Layman c. *Translatio*. n. 4, de *Constit.*; Pirhing h. n. 111. et alii: quarum una vocatur extensio proprie dicta, seu mere extensiva; alia improprie dicta, sive comprehensiva. Ex his prior, videlicet extensio proprie dicta (quam etiam appellant extensionem legis extensivam, vel interpretationem mere extensivam). est illa, per quam cujuscumque legis decisio transfertur ad alium casum, vel personas, tam ultra verba legis, quam ultra mentem legislatoris, quamvis non contra mentem ipsius. Exemplum hujus habetur in c. *Cum dilecta*. 4. §. *Nos igitur de Confirmat. util.*, ubi Pontifex constitutionem illam juris civilis, quod testes valetudinarii, et alii, de quibus rationabiliter timetur, possint ad testimonium admitti, etiam lite non contestata, ne veritas occultetur. Suadente æquivalens similitudine extendit ad innovationem privilegii, aliorumque scriptorum instrumentorum, ne vetustate consumantur.

372. *Allera comprehensiva, seu inclusiva, et improprie dicta.* — Allera extensio, videlicet comprehensiva (quam etiam inclusivam, et improprie dictam vocant) est illa, quæ fit ultra verba legis, sed non ultra mentem legislatoris. Unde hæc tunc intervenit, quando decisio legis transfertur ad alium casum, seu personam non comprehensam tamen sub mente legislatoris: juxta quod I. *Scire*. 15. §. *Aliud*. ff. de *Excusat. tutor.* dicitur: « Sed etsi maxime verba legis hunc habeant intellectum, tamen mens legislatoris aliud vult. » Verumtamen hæc non est extensio, nisi improprie dicta: nam ad id proprie non dicitur lex extendi, quod deprehenditur ex tacita, et conjecturata mente legis, sive statuentis, ut inquit Abbas in c. *Super questionum*. 27. n. 7. de *Offic. delegat.* post Bartolum, et Joan. Andream; ac sequitur Felinus d. c. *Super questionum*. n. 3. post Glossam cap. 1, vers. *Italia. de Temporib. ordinat.* in 6. Si quidem anima legis est intentio legislatoris; ac proinde illud, quod venit ex mente legislatoris, nequit proprie dici extensio legis, cum comprehendatur, atque includatur in ipsa; unde et hujusmodi extensio speciali nomine appellatur comprehensiva.

374. *Interpretatio authentica legis, an debeat publicari, ut obliget? Rationes sententiae negativæ.* — Quæritur III. Utrum interpretatio authentica legis per principem legislatorem, vel ejus successorem facta, debeat publicari ea solemnitate, qua lex, ut obliget? Ratio dubitandi, ac negativam tenendi est; tum quia interpretatio legis ab initio jam inerat legi, sicque una cum ipsamet lege sufficienter censetur promulgata, arg. auth. *De raptis mulier.* §. fin. collat. 9. ibi: « Tanquam si lex a principio cum interpretatione tali promulgata fuisset. » Tum quia hac ipsa de causa declarationes sacre Congregationis cardinalium concilii Tridentini interpretum non solent publicari, et tamen, si exhibeantur in forma authentica, habent vim obligandi, juxta dicta in præmio, n. 130. et seqq.

374. *Affirmativa concluditur tenenda, loquendo de interpretatione proprie dicta, seu quæ legi intrinsece non inest.* — Resp. I. Interpretatio proprie dicta, seu quæ legi intrinsece inest, ut sit authentica, et omnino sequenda, debet publicari ad instar legis. Ita Suarez, lib. VI. de *Legibus*. cap. 1. n. 3; Castro Palao, part. I. tract. III, disp. 6, punct. 3, I §. n. 2. et seqq.; Bonacina, Salas, et alii. Ratio est, quia publicatio vel est de essentia legis, ut volunt Thomistæ, vel saltem conditio necessario requisita ad inducendum ejus obligationem, ut volunt Scotistæ; ergo sicut ipsa requiritur ad hoc, ut lex obliget, ita etiam ut obliget ejus interpretatio, quando hæc non inerat legi a principio, prout censetur non inesse interpretatio proprie dicta, et quæ non est mera legis declaratio.

375. *Solvuntur rationes in oppositum.* — Nec urgent rationes dubitandi in oppositum allatæ. Nam quod attinet ad allegatum textum juris, ibi facta fuit sollemnis publicatio dictæ imperatoris interpretationis, licet cum addito, ut ea ad præterita, et adhuc pendencia negotia extendatur; prout hoc ipsum, si expresse caveatur, potest accidere in legibus, ut habeatur cap. ult. h. t. cum concordantiis. Unde textus ille potius militat in oppositum.

376. *Mera legis declaratio non est publicanda, bene tamen interpretatio legis proprie dicta; et cur?* — Nec obstat, quod interpretatio legis jam inerat ipsi legi a principio, et una cum ipsa sufficienter censeatur esse promulgata. Resp. enim hoc esse intelligendum de interpretatione legis large dicta, seu quæ est mera legis declaratio, quamque Baldus in

cap. I. n. 17. de *Constitut.* et Fagnanus in c. *Cum venissent*. num. 5. de *Judiciis*. appellant intrinsecam, substantialem, et inseparabilem a lege, utpote cui inest, atque ex ejus visceribus trahitur; unde merito, præsertim si sit clara, et manifesta, ulteriori publicatione non indiget. Secus dicendum de interpretatione proprie dicta, extrinseca, et accidentali legis; ut est correctiva, restrictiva, et mere extensiva, qualis non ita legi inest, quinimo solum ratiocinando, ac per discursum ex sententiâ seu mente legis deducitur, arg. I. *Nominis et rei*. ff. de *Verb. signif.* et I. *Qui testamento*, 20. §. *Mulier*. ff. de *Testament.* ad quam proinde, ut sit authentica, et vim obligandi obtineat, requiritur specialis publicatio, eo quod sit separabilis a lege, et huic intrinsece non inest.

377. *An publicentur declarationes cardinalium?* — Ad declarationes cardinalium respondetur, conformiter dictis in præmio, num. 134 et 135, etiam illas publicari, quando eduntur per modum novæ legis (unde hæc ex parte stant pro nostra conclusione), quamvis non sit necesse eas publicari, quando continent meram legis jam præexistentis declarationem; nam hæc proprie, ac stricto loquendo, non est interpretatio juxta dicta num. 352, de qua impræsentiarum sermo est. Accedit quod declarationes cardinalium nullam faciunt fidem in judicio, vel extra judicium, nisi afferantur in forma authentica, solito sigillo, et suscriptione emin. cardinalis Præfecti, ac secretarii ejusdem sacre Congregationis munitæ, prout liquet ex decreto Urbani VIII 1631, die 2 Augusti emanato: simulque ex recepto usu, et consuetudine constet hujusmodi solemnitatem haberi pro sufficienti dictarum declarationum publicatione. Castro Palao, loc. cit. n. 6; Emman. Rodericus tom. I. *Quest. regul.* g. 14, art. 2; Garcias, tract. de *Beneficiis*, in præfat. ad lectorem; Salas, et alii.

378. *Epicheia, quid?* — Quæritur IV. Quid sit Epicheia, quomodo differat ab interpretatione, et an quandoque locum habeat? Resp. I. Epicheia est benigna legum interpretatio secundum æquum et bonum, declarans casum aliquem particularem ex mente legislatoris ob suas circumstantias speciales sub lege universaliter lata non esse comprehensum. Nam in omnibus causis potior debet esse ratio æquivalens, quam stricti juris, I. *Placuit C. de Judiciis*.

379. *Et quomodo differat ab interpretatione?*

legis. — Resp. II. Epicheia differat ab interpretatione legis potissimum in hoc, quia per hanc interpretamur verba legis, quando sunt obscura, seu ambiguum sensum reddunt; per Epicheiam vero interpretamur mentem legislatoris, ubi constat de universali verborum sensu; dubitatur autem de mente legislatoris, utrum nempe is talem casum particularem ob certas circumstantias voluerit, vel potuerit comprehendere sub generali locutione legis. Unde tunc vel maxime verificatur illud c. *Intelligentia*, 6, de *Verb. signif.* « Quia non sermone res, sed rei est sermo subjectus; » cum concordantiis.

380. *Est quandoque locus Epicheiæ.* — Resp. III. Certum est quandoque esse locum Epicheiæ in casu aliquo particulari ob certas circumstantias concurrentes. Ita communis doctorum; et ratio est, quia « Ex iis, quæ forte uno aliquo casu accidere possunt, jura non constituuntur, » ut notatur L. 4, ff. de *Legibus*. Nam legislator in lege ferenda communem reipublicæ utilitatem considerare, ac proinde ad id potissimum attendere debet, quod frequenter et facile accidere solet: et quæ semel, vel bis accidunt, contemnunt leges. » L. 5. ff. eod.

381. *Idque exemplificatur.* — Si igitur casus aliquis particularis occurrat (prout nonnumquam fortuito accidere solet) in quo lex generaliter lata deficiat, adeo, ut vel iniquum foret, eidem in talibus circumstantiis obedire, vel saltem nimis grave ac difficile, ut proinde lex in tali casu non censeatur obligare: tunc locus erit Epicheiæ, per quam lex illa secundum æquum et bonum judicetur hic et nunc non obligare. Sic stante lege municipali, ne tempore hostili portæ civitatis aperiantur, adhuc istæ per Epicheiam possunt, ac debent aperiri, si cives hostium impetum fugientes in civitatem sese recipere velint: alioquin enim ex observantia litterali legis illius resultaret iniquitas, et impietas erga proprios cives. Idem dicendum in aliis similibus.

§ XVI.

DE REGULIS IN LEGUM INTERPRETATIONE
GENERATIM OBSERVANDIS.

382. *Legislator, ejusque successor, majori cum libertate interpretatur legem, quam inferior.* — Circa interpretationem legum communis est attendendum, utrum ea fiat per seipsum, vel per aliquem in se

inferiorem : siquidem interpretatio authentica per principem, sive legislatorem, ejusque successorem, longe majori facilitate, et libertate fieri potest, quam per inferiorem. Licet enim princeps interpretando propriam, aut sui prædecessoris legem, sensum ipsius, ac primævam intentionem non undequaque assequatur; nihilominus auctoritas interpretantis, qui, si velit, priorem legem penitus tollere potest, supplebit defectum: nam princeps declarando authentice aliquam legem, non tam declarat intentionem personalem primi conditoris, quam sensum, in quo lex deinceps recipi, et observari debeat. At vero alius inferior, ut puta iudex interpretans legem pro ferendis sententiis, vel doctor, seu magister eandem interpretans in dandis consiliis, aut resolutionibus suis, quantum fieri potest, tenetur assequi mentem primævam ipsius legis, sive intentionem personalem primi conditoris per verba legis expressam.

383. *Sequentes regulæ deserviunt præcipue inferioribus.* — Ut autem hujusmodi interpretatio legis, sive necessaria particularis per iudicem inferiorem facienda, sive doctrinalis ac magisterialis per viros doctos danda, in praxi securius perficiatur: passim variæ a doctoribus adducuntur regulæ, in diversis juris utriusque textibus fundatæ, quæ tum in iudiciis, tum in scholis frequentissime allegantur. Earum præcipuas breviter impræsentiarum declarare juvabit.

384. *I. Verba clara non admittunt interpretationem, neque voluntatis conjecturam.* — Regula I. Verba clara non admittunt interpretationem, neque voluntatis conjecturam. Abbas, *Consil.* 97, num. 1, lib. II; card. Tuschus, litt. V, concl. 108, Barbosa *Axiomat.* 222, n. 32, et communis. Idque desumitur ex l. *Licet Imperator*, ff. de *Legatis*. I, et l. *Ille aut illa*, ff. de *Legatis*. III. Unde Glossa in c. *Cum dilectus*, 8. §. *Jure communi. de Consuetud.* inquit: « Ubi verba non sunt ambigua, non est locus interpretationi; sed ubi sunt dubia, necessaria est interpretatio. » Et merito: « quia alioquin in verbis claris interpretationem desiderare, idem foret ac nodum in scirpo quærere. »

385. *Hæc regula procedit non solum in legibus, sed etiam in privilegiis, et statutis. Verba statuti an debeant impropropriari, ut reducantur ad jus commune?* — Et hoc non solum procedit de legibus, quas oportet esse manifestas, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineant. can. 2, dist. 4. Sed etiam in privilegiis,

adeo ut a verbis privilegii non sit recedendum, ubi ea sunt clara, c. *Ad audientiam*. 12, de *Decimis*. et c. *Porro*. 7, de *Privileg.* Idemque obtinet in statutis: licet enim verba statutorum debeant intelligi largissime, vel strictissime, quando ea sic interpretando evitatur correctio juris communis, arg. cit. c. *Cum dilectus*. 8. et Abbas, ibid. num. 7, de *Consuetud.* nihilominus, ubi verba statuti sunt clara et aperta, non debent ipsa impropropriari, ut reducantur ad jus commune. Abbas, loc. cit., num. 13, post Bartolum in l. 4. §. *Prætor ait*, ff. de *Damno infecto*. Unde sequentes regulæ procedunt in dubio, et ubi de mente legislatoris, aut alterius disponentis clare non constat.

386. *II. Interpretatio potius menti, quam verbis legis convenire debet.* — Regula II. Interpretatio potius menti, quam verbis legis convenire debet. Desumitur ex can. *Humanæ aures*. 24, q. 5; ibi: « Non debet aliquis verba considerare (intellige, nude et simpliciter), sed voluntatem et intentionem: quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni. » Hinc l. *Scire*, 16, ff. de *Legibus*, dicitur: « Scire leges, non hoc est verba earum tenere, sed vim ac potestatem. » Et reg. 88. de *Reg. juris* in 6. Certum est, quod is committat in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem. Idem habetur in l. *Non dubium*. C. de *Legib.* cum concordantiis.

387. *Mens legis, unde colligatur?* — Cæterum mens legis, sive legislatoris, colligitur tum ex materia legis, tum ex circumstantiis, præcipue autem ex ratione in lege posita, juxta c. *Intelligentia. de Verb. signif.* ibi: « Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi; quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus. »

388. *Ratio legis, est anima legis.* — Accedit illud vulgatum doctorum, « Ratio legis, est anima legis, » prout desumitur ex cap. *Consuetudo*, dist. 1. et l. *Cum ratio*. ff. de *Portionibus, quæ liberis*, etc. ubi per textum notabilem, « ratio naturalis quasi lex quædam tacita esse censetur: » sicque innuitur, quod ubicumque ratio legis locum habet, etiam lex ipsa locum habere debeat: juncta l. *Item veniunt*. §. *Ait Senatus*. ff. de *Petition. heredit.* et l. *Illud*. C. de *Sacrosanct. Eccles.* Quo utroque in loco dicto in alia priori lege, extenduntur ad omnes res, casus, et personas, in quibus est eadem ratio. Concordat textus in l. *Cum Pater*. §. *Dulcissimis*. ff. de *Legatis* II. ubi Bartolus in sumuario inquit: « Dictum restringi-

tur per rationem. » Alexander, consil. 129, n. 5. lib. VII. card. Tuschus, litt. R. concl. 31. num. 13. Franciscus Coscius, tom. II. *Repetit.* c. *Translato*. num. 24. de *Constit.* Barbosa *Axiomat.* 197. n. 1. Farinacius part. I. *Fragment.* litt. E. n. 51. citans alios tum doctores, tum textus juris. Proinde Abbas Panormit. in c. *Ad audientiam*. nu. 2. de *Decimis*, haud immerito dixit: « Habent se verba, et intentio, seu ratio, sicut corpus et anima: nam sicut anima dominatur corpori, ita ratio legis dominatur verbis. » Huc etiam faciunt dicta in præmio num. 210.

389. *Nihilominus non est recedendum a verbis, nisi manifestum sit, aliud sensisse legislatorem, seu disponentem.* — Notandum nihilominus est cum Laymano in c. *Is cui*. 19. de *Elect.* in 6. et aliis, a verbis legis, alteriusve dispositionis recedendum non esse, nisi manifestum sit, aliud sensisse legislatorem, seu disponentem. Idque liquet ex cit. cap. *Ad audientiam. de Decimis*. juxta l. *Non aliter*. ff. de *legatis* III. Ibi: « Non aliter a significatione verborum recedi oportet, quam cum manifestum est, aliud sensisse testatorem. Et l. I. §. *Si is* ff. de *Exercitatoria actione*, ibi: « In re dubia melius est verbis edicti servire. » Quod ut magis intelligatur, ponitur sequens regula:

390. *III. Verba sunt intelligenda secundum propriam significationem, nisi aliud suadeat subjecta materia, vel natura actus, sive contractus.* — Regula III. Verba sunt intelligenda secundum propriam significationem; nisi aliud suadeat subjecta materia, vel natura actus, sive contractus. Prior pars desumitur ex l. *Non aliter*. ff. de *Legatis* III. et aliis juribus num. præc. citatis: estque recepta inter doctores, quos copiose citat Barbosa *Axiom.* 222. n. 4. quorum aliqui, ut Decius, cons. 113. n. 6. et Surdus, cons. 140. n. 63. et seqq. hoc ampliant, procedere etiam in materia odiosa, quando non præjudicatur tertio, nec jurisdictioni ordinariæ. Accedit ratio: quia legislator debet uti verbis manifestis, seu claris in editione legis, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat, can. 2. dist. 4. ergo is etiam debet uti verbis in significatione propria. ac proinde hæc secundum propriam significationem intelligi; alioquin nihil firmum stabiliretur, sed omnia forent plena cavillationibus.

391. *Duplex verborum proprietas, naturalis et civilis.* — Porro, cum duplex possit intelligi proprietas verborum, naturalis videlicet, seu quæ ex communi hominum acceptione ha-

betur; et civilis, quæ oritur ex fictione juris prout v. g. mors, juxta communem hominum acceptionem, intelligitur de morte naturali, sed per fictionem juris etiam professioni religiosæ, quin et exsilio attribuitur. Hinc dicendum, quod per se loquendo ac regulariter sit servanda naturalis verborum proprietas, et juxta illam lex intelligenda, arg. l. ult. C. de *His, qui veniam ætatis*, etc. ubi legitima et perfecta ætas de naturali intelligitur, non de illa, quæ beneficio principis obtinetur. Ad idem favet textus in c. *Susceptum* juncta Glossa. §. *Humanis*, et §. *Non morte de rescript.* in 6.

392. *Verba sunt improproprianda, quando hoc suadet subjecta materia.* — Altera pars, per quam regula generaliter prolata nonnihil limitatur, seu explicatur, probatur inductione. Sic quippe imprimis, quando subjecta materia aliud suadet, verba sunt intelligenda secundum materiam, de qua loquuntur, et si opus fuerit, etiam improproprianda, arg. can. *Rogo*. 11, q. 3. ubi verbum *Rogo* intelligitur præceptivæ: et c. *Ad aures* 7. de *Ætat. et qualit.* juncta Glossa fin. ubi dictum illud, « De nostro consilio, » accipitur pro consilio reverentiæ, cui obediendum est, cum similibus. Alexander, consil. 46. num. 2. lib. I., Card. Tuschus, litt. V. concl. 95. Barbosa *Axiomat.* 222. n. 6 et 8. et alii ab ipso citati.

393. *Vel natura actus, sive contractus.* — Deinde id ipsum est dicendum, adeo ut verba etiam impropropriantur, quoties natura actus, seu contractus id expostulat, arg. l. *Si uno anno*. §. 1. ff. *locati*, ubi verbum *Donatio* impropropriatur, et pro transactione accipitur. Unde Bartolus ibidem in sumuario pro regula ponit, quod verba accipiantur secundum materiam contractus, et sic verba debeant intelligi secundum materiam subjectam; prout in simili habetur l. *Damni infecti*, §. 1. ff. de *Damno infecto*. et l. *Si stipulatus*. §. de *Usuris*. Barbosa, loc. cit. n. 8. cum aliis.

394. *Verba ita sunt intelligenda, ut res, de qua agitur, potius valeat, quam pereat.* — Hinc ulterius secundum materiam subjectam et naturam actus verba sunt intelligenda, atque interpretanda, ut res de qua agitur, potius valeat, quam pereat, Glossa in c. *Cum super*, 23 §. *Mutuo adversantibus. de Offic. delegat.* et doctores communiter; ac patet ex c. *Abbatem* 25. de *Verb. signif.* ibi: « Profecto sic intelligenda sunt illa verba ut res de qua agitur valere possit potius, quam perire. »

Concordat textus expressus l. *Quoties in actionibus ff. de Rebus creditis. et l. I. § 1. C. de Rei uxoria action. cum similibus.* Quinimo ad sustinendum actum, admittitur omnis interpretatio. Rota decis. 409. n. 3. pari III. recitat. Et ista, quæ fit pro validitate actus, est regula aliarum interpretationum. Card. Tuschus, litt. A. concl. 136. num. 6. Barbosa *Axiomat.* 123. n. 18. et 19. et alii.

395. *Etiam verba inproprianda, si opus fuerit.* — Et hoc adeo verum est, ut ubi opus fuerit, ac fieri potest, pro sustinendo actu, sive ut is non reddatur inutilis, etiam verba sint inproprianda: prout desumitur ex l. *Si unus ff. Locati. et l. Si cum ante. C. de Donat. antenupt.* ubi idcirco verbum illud, *Remaneat*, inpropriando accipitur pro verbo *Reddatur, Restitatur.* Simile quid accidit in l. *Et puto. § 1. ff. Familia herciscund.* Ubi Glossa *γ. Non communicari.* ex Baldus, cap. ult. n. 3. de *Translat. episc.* iure probat, quod verba, quæ proprie non possunt cum sententia salvari, debent inpropriari. Card. Tuschus, litt. V. concl. 95. n. 1. et alii.

396. *Idem faciendum, ut evitetur absurdum. Et ne verba remaneant superflua.* — Similiter verba sunt inproprianda, et intelligenda secundum subjectam materiam, sive naturam actus, ut evitetur absurdum, c. *Solite. § Verum de majorit. et obed.* Item, ne verba remaneant superflua: verba enim debent aliquid operari, nec esse superflua, c. *Si Papa, 10, de Privileg.* in 6. ibi: «Cum verba aliquid operari debeant,» etc. *Si a iudice, 10, de Appellat.* in 6. cum concordantiis ibidem a Glossa, vers. *Cum effectu,* allegatis. Et hoc extendit etiam ad minimum verbum, imo etiam ad minimam syllabam: nam, et hæc debet aliquid operari, nec superfluere. Card. Tuschus, litt. V. concl. 83. n. 4. et 5. Barbosa, loc. cit. n. 12, et alii; estque fusius declaratum in proœmio, n. 143, 144. et seqq.

397. *Regula procedit ordinarie, patitur tamen suas limitationes.* — Dantur insuper nonnulli alii casus, in quibus verba possunt, ac debent inpropriari, de quibus partim agunt citati auctores partim ex infra dicendis patebit. Unde regula III. proxime data quod verba sint intelligenda secundum propriam significationem, procedit ordinariæ ac regulariter loquendo: patitur tamen speciales suas limitationes, atque fallentias. Quod ipsum commune est cæteris Regulis, juxta illud vulgatum: «Nulla regula sine exceptione.»

398. *IV. Verba generalia generaliter sunt intelligenda.* — Regula IV. Jus generaliter et indistincte loquens, generaliter et indistincte intelligitur, nisi per aliud distinguatur. Sive, ut aliis terminis tradunt doctores, «Verba generalia generaliter sunt intelligenda.» Hæc regula habetur clare in c. *Quia circa. 22. de Privileg.,* addita hac ratione: «Cum nihil exceperit, et poterat excepisse.» Unde Summarium in l. *de Pretio. ff. de Publiciana in rem action.* sic habet: «Ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus:» estque vulgatum juristarum axioma.

399. *Nisi per aliud distinguantur.* — Notanter tamen additur, «Nisi per aliud distinguatur.» Nam secus erit dicendum quando una lex distinguitur, seu declaratur per aliam legem; prout v. g. lex generaliter loquens distinguitur, atque limitatur per aliam legem specialiter loquentem, l. *Non est novum. et 2. seqq. ff. de Legib. juncta reg. 34. juris in 6. ubi:* «Generi per speciem derogatur.» cum similibus. Quinimo nonnunquam una lex expresse distinguit, ac limitat aliam legem generaliter, ac indistincte loquentem; idque ob quamdam specialitatem seu rationem diversitatis; ut fit in c. *Statutum 23. de Election.* in 6. et aliis hujusmodi.

400. *V. Indefinita locutio æquipollet universali.* — Regula V. Indefinita locutio æquipollet universali. Ita Glossa in proœmio *Decretalium.* vers. *In Judiciis,* et communis; atque desumitur ex can. *Si Romanorum,* dist. 19. et d. c. *Quia circa. 22. de Privileg.* cum similibus.

401. *Quando subest eadem ratio omnium sub indefinita comprehensorum: alias secus.* — Hæc regula præcipue tunc procedit, quando subest eadem ratio omnium sub indefinita comprehensorum, arg. l. *Si pluribus,* cum ibi notatis per Bartolum et l. *Si ita relictum, § 1. ff. de Legatis II.* Alexander consil. 26. n. 3. l. IV. Dynus in proœmio *de Reg. Juris,* in 6. n. 5. et seq. Card. Tuschus litt. I. concl. 86. et alii. Secus, quando non subest eadem ratio, et conditio (propter aliquod accidens) omnium particularium sub universo comprehensorum: tunc enim indefinita non æquipollet universali, l. *Hæres meus. et l. Quæsitum. § Illud, ff. de Legatis III.* ubi si legatur marmor indefinite, sub legato comprehenditur sola rudis materia: et l. *Si cui lana. § 1. ff. de Legatis III.* ubi sub lana indefinitè legata non continetur tincta.

402. *Solvuntur instantiæ. Sub lana indefi-*

nite legata, non continetur lana tincta; et cur? — Nec obstat, quod non desinat esse lana, si tincta sit; atque ideo, si legatur omnis lana, etiam tincta lana cedat legato, l. *Pediculis. § Habeo. ff. de Auro et argent. legat.* ac notat Glossa c. *Ut circa. 4. vers. Aliorum de Elect.* in 6. Resp. enim disparitatem esse inter lanam indefinitè legatam, et inter omnem lanam legatam: quia hic expresse intervenit clausula universalis, *Omnis;* non ibi. Atqui clausulae universales sunt majoris efficaciae, quam generales; et illæ omnia complectuntur nullo penitus excepto, nisi subsit ratio restringendi. Barbosa, clausul. 184. citans alios. Contra vero locutio indefinita, hoc ipso, quod sit indefinita, non habet clausulam universalem: simulque indefinita æquipollet universali, non ex propria vocabuli significatione, sed ex benigna interpretatione, atque conjectura mentis disponentis, quæ in locutione indefinita attenditur, et adesse interpretatur; quando omnium particularium in universali comprehensorum est eadem ratio, et conditio; non item, quando subest diversa ratio. Sic autem fit in allatis exemplis, ubi sculptura marmoris, vel tinctura lanæ superaddita, facile potest esse majoris æstimationis, quam ipsum principale. Glossa, loc. cit. Dynus, ut supra num. 7. Barbosa, *Axiomat.* 123. n. 4. et seqq. citans alios.

403. *Appellatione argenti etiam fabrefactum comprehenditur, non autem marmor effigiatum nomine marmoris: et cur?* — Nec obstat ulterius, quod appellatione argenti, etiam fabricatum argentum comprehendatur, text. clar. d. l. *Quæsitum § Illud. ff. de Legatis 3.* Resp. enim hoc ideo esse, quia argentum fabrefactum, seu effigiatum, ad sui materiam reverti potest, dum liquefit: secus accidit in marmore effigato, seu efformato, et lana tincta, ac hujusmodi. Quæ quidem ratio disparitatis assignatur in cit. *§ Illud,* illis verbis: «Cur argenti appellatione etiam fabrefactum argentum comprehendatur, cum si marmor legatum esset, nihil præter rudem materiam demonstratum videri posset? Cujus hæc ratio redditur: quippe ea, quæ talis naturæ sunt, ut sæpius in sua redigi possint initia, ea materię potentia victa, nunquam vires ejus effugiunt.»

404. *Nomine materię, quando comprehendatur materiatur?* — Et hæc est notabilis ratio disparitatis, cur locutio indefinita, quæ cupiam marmor indefinite legatum fuit,

comprehendat solam rudem materiam marmoris; ac similiter legata lana, solummodo lana non tincta præstanda sit: econtra vero sub indefinita locutione argenti, quod illi et argentum contineatur, sicque argento indefinitè legato etiam debeatur fabrefactum, seu effigiatum. Discrimen namque in hoc consistit, quia appellatione *materię* non continetur materiatur, quod ad sui materiam reverti non potest; bene tamen id, quod potest ad suam reverti materiam, ut argentum, aliaque metalla post liquefactionem revertuntur. Bartolus, ad cit. *§ Illud.* et alii.

405. *VI. Exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis.* — Regula VI. Lex limitatoria, dum certum casum a lege excipit, censetur hanc declarare, atque confirmare in reliquis. Hinc Glossa communiter recepta l. *In iis quæ. ff. de Legib.* ait: «Exceptio a regula firmat regulam in aliis.» Sive, «Exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis,» ut inquit Fagnanus, in c. *Illu. n. 31. Ne Sede vacante,* ac late probat Barbosa *Axiomat.* 83. n. 4. Desumitur hæc regula ex d. l. *Quæsitum, § Denique. ff. de Fundo instructo.* ibi: «Nam, qui hæc excepit, non potest non videri de cæteris rebus, quæ in ea essent, sensisse.» Concordat can. *Dominus. 32. q. 7. et cap. II. de Conjugio leprosar.* Et merito: nam, quod non mutatur, quid stare prohibetur, l. *Sancimus, 6. de Testament.* Et cum constitutio, seu lex nova quidpiam negat de uno, de alio censetur illud concessisse, arg. c. *Nonne. de Presumption.* et can. *Qualis hinc,* dist. 25. et l. *Præter, ff. de Judiciis.*

406. *VII. Argumentum a sensu contrario, est validum.* — Regula VII. Argumentum a sensu contrario est validum, imo (ut loquitur Glossa in c. *Cum apostolica,* vers. *Datur intelligi.* «De his quæ fiunt a prælatis») a contrario sensu datur fortissimum argumentum. Idque desumitur tum ex l. I. ff. *de Officio ejus, cui demandata est jurisdict.* ibi: «Hujus rei fortissimum argumentum est, quod lege Julia de vi nominatim cavetur, etc. Non aliter igitur mandare poterit.» Et concordat can. *Qualis hinc.* dist. 25. ibi: «Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur.» Hinc usitatus ille modus loquendi doctorum. «Unde a sensu contrario inferitur,» etc.

407. *Dummodo exinde non sequatur absurdum.* — Cæterum, ut argumentum a sensu contrario in jure sit validum, requiritur im-